

Disco, Hoofdstuk 14 - Extra teksten

1. Faustulus en Acca

Faustulus territus casam intrat, ubi quaerit uxorem, cui nomen Acca erat.

Clamat:

“Acca, ubi es? Veni et audi de fato filiorum nostrorum:
Romulus Remum necavit!”

Acca, quae verba mariti non credit, eum rogat:

“Quid dicis?! Quam fabulam finxisti? Tibi credere non possum!”

Faustulus autem:

“Crede mihi, uxor, fabulam non finxi!
Hodie cum sociis ad montem Palatinum adii.”

Acca: “Qui socii tecum Palatinum adierunt?”

Faus.: “Quirilius et Magnosius mecum venerunt.

Etiam Romulus et Remus et multitudo virorum Palatinum
petiverunt. Tum Romulus viros ad se vocavit;
ubi omnes tacuerunt, haec verba dixit:

‘Gaudeo, quod venire non dubitavistis. Hodie sacrum facere
volumus, nam auxilio deorum Palatinum munivimus.’

Acca: “Quibus deis sacrum facere voluit?”

Faus.: “Iovem et Iunonem colere in animo habebat. Tum Romulus dixit:

‘Murum altum aedificavimus. Nunc tandem sine periculis
vivere possumus.’

Acca: “Quae pericula eum terrebant?”

Faus.: “Bella cum gentibus finitimis timebat.

Subito autem Remus clamavit:

‘Ego murum tuum rideo, quod
is urbem nostram a bellis
hostium protegere non potest!’

Statim murum transiluit.



Tum Romulus per iram Remo instabat et,
o Acca, fratrem necavit!”

Acca, quae lacrimas tenere iam non potest, rogat:

“O Faustule, quod fatum miserum nos tangit?

Propter quam causam dei sic nos puniverunt?

Quem dolorem nobis dederunt? Quae vita nos nunc manet?”

Faustulus eam rogat:

“Cur tanta rogas? Num id facis, quod pueri et puellae in gymnasio
pronomina interrogativa discunt?”

Woordjes:

ad se	= bij zich
omnes (nom.)	= alle(n)
haec	= deze
munire	= versterken, ommuren
periculum	= gevaar
transilire, perf. transilui	= springen over
tanta	= zo veel
punire	= straffen
Batavi	= Nederlands
pronomina interrogativa	= ‘vragend voornaamwoord’
discere	= leren

2. Theseus en Ariadne



Certe audivistis de Theseo, qui

Minotaurum necaverat.

Certe audivistis de Theseo, cuius pater
se interfecerat.

Certe audivistis de Theseo, cui
Athenienses liberos suos mandaverant.

Certe audivistis de Theseo, quem
Ariadna paulatim amaverat.


Certe audivistis de Theseo, quocum
Ariadna e Creta insula fugerat.

Minos rex Minotaurum, cui caput tauri et corpus hominis erat, in labyrintho incluserat. Rex Atheniensium, quem Minos vicerat, iam multos liberos in Cretam miserat. Minotaurus liberis gaudebat, quos Minos in Cretam venire coegerat.

Sed nunc Athenienses, quibus Theseus auxilium promiserat, curam magnam deponere poterant. Theseus non timuit et labyrinthum intravit, in quo Minotaurus liberos iam exspectabat. Medio in labyrintho Theseus Minotaurum, de quo iam multa audiverat, invenit et post longam pugnam eum necavit.

Deinde Theseus cum Ariadna, cuius auxilio labyrinthum reliquerat, ad navem, qua venerat, pervenit. Ad patriam tum navigaverunt. Sed Theseus Ariadnam, quacum in patriam redire non audebat, in insula, cui nomen Naxos est, reliquit. Ibi deus Dionysus eam uxorem suam fecit.

Omnes liberi, quibuscum Theseus in Cretam navigaverat, in patriam redierunt. Magnum erat gaudium parentum, quibus Theseus liberos reddidit.



Woordjes:

certe	= zeker
se	= zich
Atheniensis, -es	= Athener;
suos	= hun (eigen)
mandare	= toevertrouwen
taurus	= stier
includere, pf. inclusi	= opsluiten
vincere, pf. vici	= overwinnen
medio in	= midden in
suam	= zijn (eigen)
gaudium	= vreugde